

WJ  
1470



F.K.24.8<sup>a</sup> RECENSUS  
SEU HISTORICA EXPOSITIO  
**OMNIUM HUJUS**  
SECOLICONSILIARIORUM, QVI  
SUAM ILLUSTRISSIMIS JUNIORIS LINEÆ  
RUTHENIS FIDEM, PRUDENTIAM ATQVE IN-  
DUSTRIAM, CUM IMMORTALI NOMINIS  
LAUDE, PUBLICAQVE OMNIUM  
SALUTE PROBARUNT.

PLURIMUM <sup>2VA</sup> VENERABILES  
DNN.  
**INSPECTORES,**  
OMNESQVE OMNIUM ORDI-  
NUM SPECTATISSIMOS OPTIMOSQVE VIROS,


**Ad Parentale Sacrum,**  
*VIRO quondam*

*NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO*  
**DN. JOHANNI POSNERO,**  
JC. HEREDITARIO in Solmniss/  
CONSILIARIO RUTHENO-PLAVIENSI, CONSISTORII  
ADSESSORI, GYMNASIIQVE EPHORO GRAVISSIMO,  
BENE MERENTISSIMO,


*instituendum,*  
*atqve à*  
*NOBILISSIMO ADOLESCENTE,*  
**ANTON. CHRISTIAN. de Rospofti**

*promptâ ex memoriâ  
babendum,*  
*qui & simul Musis nostris bonis,  
ut precamur, avibus valedicturus est,  
quâ par est, observantiâ,  
& humanitate  
invitat*  
**M. JO. FRIDERICUS Möber/**  
Illustris Ruthenî RECTOR.

GERÆ, Typis WERTHERIANIS.



# REGENS



**I**ceat, dum VIRO, quondam, NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ATQVE CONSULTISSIMO, JOHANNI POSNERO, HEREDITARIO IN SOELMNIZIO, JCto EXCELLENTISSIMO, CONSILIARIO RUTHENO-PLAVIENSI LAUDATISSIMO OPTIME-QVE MERITO, Sacrum parentale instituimus, oblatâ occasione tâm commodâ tamque exoptatâ, memoriam Consiliariorum Ruthenicorum, qui per hoc seculum Patriæ suâ dexteritate, fide ac prudentiâ profuerunt non minus ac præfuerunt, quoad ejus fieri per virium imbecillitatem potest, pie hic restaurare. Evidem deterrere nos posset Sallustii illud, quô *tantam cujusque virtutem haberi statuit, quantum verbis eam extollere praelata possunt ingenia.* Etenim mecum habitare didici jam pri-dem, ut verear non parum, ne tenuitate ingenioli detrahere potius tantorum Virorum laudi videar, quâm addere quidquam, quod celebrandis iisdem par esse queat. Accedit, quod non de omnibus, quos laudare in præsentiarum animus est, satis me, quod equidem velim, instructum esse, conqueri necesse habeam. Cæterum agamus, quod agendum est, cum in magnis istiusmodi rebus vel voluisse sufficiat. De Consiliariis vero, & hujus quidem seculi duntaxat, prout jam antè indicatum fuit, non de reliquis, nec de ipsis Cancellariis nunc sermo futurus est. De illis quippe nondum constat satis, de his vero commodior alia se offeret dicendi occasio. Igitur anno M. DC. VII. præter Cancellarium, Virum laboriosissimum, & publicæ omnium salutis studiosissimum, D. JOHANNEM HOFMANNUM, Consiliarii Ruthenici fuerunt Nobilissimi Viri DAVID à RASCHAU, & WOLFGANGUS WINCKLER, nec non Vir amplissimus BENEDICTUS PASCHA, qui & partes Secretarii functus est. Constat hoc & manifestum est ex Scripto quodam, quod laudatissimus iste HOFMANNUS anno jam dicto, in gratiam PRÆCELSI quondam HEINRICI POSTHUMI, sapientissimi Herois, & cui post DEUM Ecclesia pariter & Respub.

plu-

M. Jo. ERIDERICUS SENIOR

plurimum, illustre verò Gymnasium omnia debet, singulari studio concinnavit. Commendat in codem curæ ILLUSTRISIMI DYNASTÆ quatuor salutis publicæ, quas ipse vocat, columnas, summâ industria obserandas, visitationem nempe Ecclesiasticam, Scholam illustrem Justitiæ exercitium & publicum deniq; rerum Statum. Quid in singulis diligenter observandum sit, sedulo ac operosè idem inculcat. Facit quoq; mentionem binorum Consiliariorum, qui jam antea ex Nobilissimo Eqvitum ordine ad istud officii cooptati fuerant, & ère omnium fore existimat, si, qui Regimini moderando adstent, ex Nobilium partim prosapiâ, partim ex Civium familiis adsciscantur. Quod disceptare nec in meam cadit tenuitatem, & à scopo nostro alienum est. De RASCHAVIO quæ afferam, plura non habeo, neque tamen dubito, quin suis egregie defunctus sit muniis, &c. quicquid ad se pertinere non ignoravit, fide ac sedulitate debitâ peregerit. Ad WINCKLERUM verò, Toparcham in Sölminiȝ quod est, is non solum antiquissima, & jam olim ex Styria usque huc traductâ gente oriundus, sed etiam iis fuit animi dotibus, eâ judicii acrimonia, eâ rerum experientiâ, ea agendi promptitudine & alacritate, ut rerum suarum ex voto omnium, non sine emolumento Patriæ insigni, sategcrit, magnas quoque res & expeditiones eâ obierit fide ac felicitate, ut singularem sibi gratiam & amorem ILLUSTRISSIMI HEROIS, facile conciliaverit & retinuerit usque. Tandem Vir optimus fatò quodam inopino & casu illætabili sublatus est è vivis. Etenim postquam, resignatò in arce perillustri HEINRICI POSTHUMI Testamento, cui viginti & septem annis antè subscrisserat cum aliis, ex quibus unicus erat super, in ædes Stockelmannianas, sub horam quintam pomeridianam, redierat salvus & sui potens, descendens tamen è rheda, illico cum ministro suo concidit mortuus, apoplexia fortasse tactus tam vehementi ac letali, ut, tentatis licet subitò & adhibitis remediis omnibus, nihil vel sensus, vel motus, vel vitae restiterit amplius. Factum id est X. Februarii die, Anno hujus seculi XXXVI, cum vivendo explesset annos sexaginta & sex, prudentissimus Consiliarius, & Inspector Scholæ Provincialis vigilanssimus. Sed & nunc iterum commemorandus est Consultissimus Vir BENEDICTUS PASCHA, Coloniæ ad Spream, Pastore ibidem Ecclesiæ JACOBO, viro

perquam reverendo & clarissimo natus. Hic innotuit primum  
Geræ, cum ad matris optimæ sororem, JESAIÆ KRUGERI,  
Antistitis tunc vigilantissimi, uxorem, ex officio inviseret,  
ac deinde, cum ILLUTRISSIMO HEINRICO MEDIO,  
ad Comitia Ratisponensia abeunti, fidem & industriam eximie  
probasset, anno superioris seculi XCIV, Secretarius primus, de-  
inde Consiliarius & Adsestor tandem Confistorii vocatus legi-  
timè & constitutus fuit. Quicquid mortale habuit Vir meri-  
tissimus, id depositum anno XXXVI. hujus ad finem properan-  
tis seculi. Asiduus hic fuit ac indefessus in sustinenda, quam  
suscepit, Provinciâ, justitiae studio incredibili, & in egenos li-  
beralitate flagrans. Perennem sui memoriam reliquit Epita-  
phio insigni, per pulchro & sumptuosò, quod in æde sacrosan-  
ctæ Trinitatis ad Coemeterium hujus oppidi fieri curavit, quod  
conspicientium oculos facile ad se trahit, sive elegantiam artis,  
sive structuræ amplitudinem spectes. Non præteriri hic de-  
bet JOHANNES VOLCKMARUS, Vir amplissimus pa-  
riter & præclarissimus, Consiliarius Rutheno-Geranus labo-  
riosissimus. Hic primus Rector Scholæ Schleicensis per tri-  
ennium, hinc Poligraphus Lobensteinensis in Patria, ubi piissi-  
mo Viro, MARTINO VOLCKMARIO, Ecclesiæ Pastore  
ac Superintendentे vigilantissimo, anno salutis M. D. LXII.  
dias in luminis auras prodierat, per septennium benè meritus,  
tandem, cum initio hujus seculi Consiliarius & Secretarius Ru-  
thenicus ex merito quodam suo constitutus, eâ sedulitate ac fi-  
de Spartam ornavit suam, ut omnibus bonis tunc sui desideri-  
um, laudem etiam inextinguibilem posteritati reliquerit. Inter  
Consiliarios nostros locum quoque habuit procul dubio cum  
summa laude Vir Magnificus, JOHANNES GEORGIUS  
OPPEL, JC. sed quamdiu & quando, nunc indagare non po-  
tui. Id verò extra dubium est, ipsum magno admodum in-  
genio fuisse, & peritia Juris consummatisimam, imprimisque  
clarum, ut Dresdam à SERENISSIMO ELECTORE SA-  
XONE accitus, & Sanctiori Consilio Senator clementissime  
immixtus fuerit. De cuius famam ac laude procul dubio facun-  
dior aliorum lingua diu multumque commemoravit alibi, ut  
his simile adderem, strepere velut inter olores anser videri que-  
am. Quocirca nunc ad alios transeo. Ethiceminet Vir in-  
signis maxime & magni omnino nominis D. HEINRICUS

GEB-

GEBHARDI, cognomine WESENERUS, Erfurtinus,  
Hereditarius in Sölmnis. Vocatus fuit Consiliarius A.O.R.  
M. DC. X. die X. Januarii, tandem anno XXXVIII. sequente,  
die XXXI. Martii ad Cancellariatum, quem vocant, evectus.  
Eâ autem fide ac dexteritate, annos omnino XXXI. Officium  
administravit arduum, ut Altenburgum à CELSISSIMO  
DUCE SAXONIÆ, FRIDERICO WILHELMO, hinc  
evocatus, anno M. DC. XL. Cancellarius constitueretur, &  
intimus Consiliarius. Cui illâ occasione jure quodam suo  
successit Vir moderatissimus ac piissimus, Jurisque, si quis alias,  
longè peritisimus D. JOHANNES ALBERTI, JC. in  
Wiedersberg / postquam decennio antè & quod excurrit  
Consiliarii munia suscepserat, & cum maxima laude, summa-  
que utilitate salutis publicæ administraverat. Sed de Nestore  
hoc Ruthenico & alias dictum fuit uberior, & dicentur plura,  
si DEUS dederit, commodiori occasione. Surrogatus huic  
in Consiliarii officio amplissimo fuit exercitatisimus Consul  
D. CHRISTOPHORUS LIMMERUS JC. in Zeils- und  
Langen-Großdorff / anno XL. Novembri mense. Quantus  
hic fuerit, quam gravis & exactus Juris & æqui arbiter, & quam  
eximie adeò multumque profuerit universæ Patriæ; id tunc  
exponetur prolixius, cum de Cancellariis, quorum in nume-  
ro is tandem fuit, dicetur. Nunc allaterare LIMMERO par-  
est Virum egregium & Juris maximè Consultum D. BE-  
NEDICTUM SCHROETERUM, Collegam quippe in  
Dicasterii Senatu conjunctissimum, Comitem quoque Pa-  
latinum Cæs. & Juris in illustri Ruthenico interpretem. Con-  
siliarius apud nos Ruthenicus cœpit esse Mensi Septembri an-  
no M. DC. LIII. Vix affirmare vereor, hunc omnes nume-  
ros boni JCTi expleuisse. Magna in ipso erat consiliorum  
probitas, magnus suis defungendi partibus ardor, magnum  
intuendâ afferendâque justitiâ, fervidumque & incorruptum  
studium. Vigebat in eo quoque, & paginam faciebat utram-  
que prudentia insignis, fides sincera, industria pertinax, admi-  
randa laborum patientia, maxima juvandi omnes cupiditas;  
cum maximè verò animus bene compositus, ad sufferenda  
adversa magnus & intrepidus. Et quid eruditonem non pro-  
letariam commemorem non tantum in Juris scientiâ, sed &  
historiâ, imprimis Patriâ? Dehac multa memoratu digna col-  
legerat,

legerat, præcipue quod attinet Pro sapientiam & gesta Illustrissimorum Ruthonum, quorum in signis usus in Stemmate Ruthenico illustrandò potuit esse. Obiit ille & vita digressus caducâ fragiliq; est Decembri Mense anno M DC LXXV. Triennio post, Mense Junio suffectus ipsi est JOHANNES POSNERUS, JC. Hereditarius in Sölmisch / Praelectus hactenus Dynastiæ Lobensteinensis gravissimus. Qui utinam tam corpore firmus, salvus ac sospes fuisset, quam animo promptus erat, judicio sagax, eloquio potens, varia & politiori quidem eruditione excellens. Sic enim futurum fuisset, ut diutius egregio inserviasset publico, & Patriam innumeris sibi meritis devinxisset, & obstrictissimam reddidisset. Vitam cum morte commutavit Mense Julio anno M DC LXXXIV. De cuius laudibus plura afferre nunc non attinet, cum VALEDICTURUS id oratione peculiari præstitus sit. Nedicam, quod iis persequendis aptus nemo fuerit, nisi qui facundia atque ingenio par ipsi proximus ve poterit esse. Nunc igitur summæ rerum laudatissimè præsunt Castor & Pollux, candidissima sidera, GENEROSUS nempe ET MAGNIFICUS DN. RUDOLPHUS ERNESTUS DE MOSEL, in Schönberg & Podelwitz/ut & NOBILISSIMUS, ATQVE EXCELLENTISSIMUS DN. TOBIAS HEUBLERUS J. U. D. in Schwand & Droschkau/ Viri supra meam aliorumque laudem positi. Cœperunt nobis primum illucescere BLANDISSIMA SIDERA die prima Septembris anno M DC LX XXV. decumbente jam ex valetudine LIMMERO Cancellario, ac tandem sequente XXII. Novembbris mundo digrediente. Quò fiebat; ut non solum interrupta per Cancellarii mortem negotia redauspicati sint feliciter VIRI LAUDATISSIMI, sed & ILLUSTRIS MOSELIUS ipsi deinde Cancellarius & Consistorii Praeses, huic vero CONSUL TISSIMUS HEUBLERUS, Consiliarius superior succederent. Qui ut diutissime sospitesque ac sani rebus humanis intersint, vivantque ex suo, nostro, omnium bonorum votò, omnigena prosperitate macti, serio pariter & sincerè precamur. Precamur etiam, ut, quoad amplissima hæc mundi machina constabit, nostrum quoque illustre Dicasterium, & justitia adeo, æquitas ac fides intemerata & nobis, &, si quæ secutura est, posteritati constet, & nunquam interrupta conservetur. De cætero neminem admiraturum arbitror magnopere,

fi

filegredit, ILLUSTRISSIMIS RUTHENIS suos semper sapientissimos Consiliarios fuisse, cum ipsi vel in ictissimis Imperatoribus, vel potentissimis Regibus jam pridem cum summa quadam & immortalis laude à Consiliis fuerint. Quotus enim quisque aut omnia expediat ipse, aut oculatus sit in omni re, quantum necesse est? Rempublicam & subditum gregem si vel Argus servet & inspiciat, qui oculatus totus fuit, quem quondam Io Juno custodem addidit, vix cernat omnia. Principi igitur multis oculis, quibus videat, multis auribus, quibus audiat, hoc est, uno & item altero sagaci, prudenti ac fideli Consiliario opus erit. Et sancè si in rebus etiam privatis vix sibi consulunt satis vel prudentissimi homines, ut non aliorum indigeant consiliis, nec compotes reddi velint; cum in suo quisque negotio hebetior paulò videatur esse, quam in alieno: quanto minus prudentiorum careant consilio, quibus totius populi salus & infinita, quæ inde oriuntur, negotia incumbunt, & qui ita nati sunt, verbis Taciti, *ut bona malaq; eorum ad Rempublicam pertineant?* Neque vero satis est, Alphonsi, Regis Arragoniae, exemplò, mutos atque mortuos Senatores in complexum assūmissem, quod hi cupiditate ac metu vacui, liberrimis vocibus, quicquid fugiendum sit aut faciendum, admoneant. Necesse omnino est, habere à late-re Principes vivos etiam prudentes peritosque rerum, quorum juventur consiliis ac dirigantur. Hinc optimum quemq; Prin-cipem Consiliariis stipatum fuisse legimus, sine quibus nihil tecum, quod alicujus momenti fuit, suscepserunt. Habebat C. Cæsar Q. Pedium & Corn. Balbum, Augustus Mœcenatem & Agrippam, Hadrianus Celsum, Salvium & Neratium, M. Antoninus Scævolam, Mutianum & Volusianum, Severus Papiniandum, alii alios. Et raro, inquit Vellejus, *eminentes Viros non magnis adiutoribus ad gubernandum fortunam suam usos invenies.* Nullum enim magis boni Imperii instrumentum, quam bonus Consiliarius, qui non in merito pacis decus vocatur. Et annon sapientia non modo propriâ, sed & fidelium Consiliariorum fulcitur ac sustinetur. Principum thronus, effato Salomonis, Regum suo ævo sapientissimi? Propterea par omnino & æquum fuit, quin & necessarium non raro, ut ILLUSTRISSIMI etiam RUTHENI suos haberent semper Consultores, & optimos illos quidem, fidelissimos ac diuturno affiduoque magnarum rerum usu maxime peritos. Et habuerunt omnino tales nullo non tempore, quæ

cum

Kg. 1470 TK

cum non ultima felicitatis nostræ pars sit; nefas omnino fore, non exultare ideo, nec gratulari Patriæ, nec Virorum, tam egregie de nobis meritorum, memorias sanctas habere & perpetuo restaurare. Sed nunc ad eum denique properandum est, in cuius gratiam & honorem hanc suscepimus scriptionem. Est is NOBILISSIMUS ADOLESCENS, ANTONIUS CHRISTIANUS à Rospoth/EQVES VARISCUS, natus ex antiquissimâ ac meritis hinc & inde celebratissimâ familiâ. Qui uti à teneris usque, GENEROSORUM PARENTUM, PISSIMÆ imprimis ductu MATRIS se affuefecit, & ita comparavit, ut sustinere tot nobilissimorum Majorum gloriam, & probare se dignum tantò decore posset: Ita id non intermisit temere aut insuper habuit, quoad nobiscum commoratus est. Nomen apud nos professus est circa sacrosanctum Trinitatis Festum anno M. DC. LXXXIII. mensâ primùm usus AMPLISSIMI POSNERI, cuius defuncti memoriam recolet comiter, deinde & meâ, donec à flamarum fævitia intemeratum adhuc stabat Illustre Collegium, tandem & VIRI PERQVAM REVERENDI AC PRÆCELLENTISSIMI DN. M. HEINRICI SCHERFII, Archi-Diaconi Ecclesiæ nostratis vigilantissimi. Nihil præterea industriae accuræ omissum fuit unquam, ut in re Etam & proceram succresceret arborem tam egregius egregiae Stirpis surculus. Pollet enim ingenio non vulgari, pollet memoria promptâ & vegetâ pollet & judicio, quantum quidem in isthane ætatem cadere potest. Unde dubitare nolumus, quin si pietatem sinceram cum industria in studiis constanti ac indefessa, inq; morum modestiâ ac civilitate, quâ non parum se etiam omnibus commendavit, strenuè maritaverit, in præstantissimû aliquando, utilissimum, suâq; Pro sapia meritissima non indignum evasurus sit Virum. Ethoc est, quod ardenti prece ac genitibus pii precamur, quibuscumque non ignotus est OPTIMUM ille COSPOTHILIS. Gras, DEO volente, sub ipsam pomericianam. II. B.M. BEATISSIMI POSNERI Oratione Latina parentaturus ex prompta memoriâ, cathedram ultimâ concendet vice gratias simul, quibus debet, nuncupaturus carmine Heroico. Cui prosperos Viales omnemq; felicitatem, omnium nomine appræcaturus est, mox consveto GABRIEL CHRISTOPHORUS Marquart/ SCHLEIZA VARISCUS. Agite igitur, PLURIMUM VENERANDI DNN. INSPECTORES, agite vos reliqui VIRI, qui Geram ornatis, HONORATISSIMI, & cum Musis nostris ac VALEDICTURO, tum præcipue BEATISSIMO POSNERO vestram probate benevolentiam & amorem. Hoc enim vivum omnes prosequuti estis, illam verò certam omnino & perpetuam nobis pollicemur. Et idcirco nihil insuper habituri sumus, quod ad animi gratitudinem, Vobis sincere præstandam usque, quemodocunque facit, P. P. GERÆ die VI, Aprilis, A. O. R. 80 Ic LXXXVII.

**ULB Halle**  
004 973 550

3



107



F.K.24.8<sup>a</sup> RECENSUS

SEU HISTORICA EXPOSITIO  
OMNIUM HUJUS

SECOLI CONSILIA RUBRIORUM QVI  
SUAM ILLUSTRISS

RUTHENIS FIDEM, P  
DUSTRIAM, CUM  
LAUDE, PUBL  
SALUTE

PLURIMU

D

INSPEC

OMNESQVE  
NUM SPECTATISSIN

Ad Paren

VIRE

NOBILISSIMO, AMPLISS

DN. JOHAN

JC. HEREDIT

CONSLARIO RUTHE

ADSESSORI, GYMNASI

BENE M

NOBILISS

ANTON. CHE

qui & sim  
ut precamur

qvâ par eit, obicitatia,

& humanitate

invitat

M. JO. FRIDERICUS

Illustris Ruthenéi RECTOR.

GERÆ, Typis WERTHERIANIS.



S,  
DI-  
S,  
m,

RO,  
iß/  
STORII  
MO,

potsh/

ELIOTHECA  
ICKAVIANA

UNIVERSITÄT-  
LIBRARY  
HALLE  
(SAALE)  
BIBLIOTHEK

